






*1763, 24  
43*

**PROCANCELLARIUS**  
**D. ADRIANVS STEGER**  
POT. POLONIARVM REGI ET ELECT. SAXONIAE  
A CONSIL. AVL. SVPR. CVRIA PROVINC. CONSIST. ECCLES.  
IVDIC. MARCH. INFER. LVSAT. AC ORD. ICTORVM ASSESSOR  
ET CIVITATIS LIPSIENSIS SENATOR  
AEDILITIVS  
DE  
GENVINA LAVDEMII FEVDALIS ORIGINE  
QVAEDAM PRAEFATVS  
S V M M O S  
**IN VTROQVE IVRE HONORES**  
PRAECLARISSIMO CANDIDATO  
**CHRISTIANO ALBINO ZAHNIO**  
WVRZENSI  
DIE VII. IVL. MDCCCLXIII.  
CONFERENDOS  
I N D I C I T.







i vila equidem est disciplina, quae permulta con-  
tinet instituta, quorum origines ac primaeuae  
rationes sunt perobscurae, incertae multisque  
difficultatibus obnoxiae, feudalis certe ingen-  
tem eiusmodi institutorum numerum exhibere valet. De  
ipsa siquidem feudorum origine, quot sane non deprehen-  
duntur eruditorum sententiae? Quem quaeſo latent contro-  
uersae simultaneae inuestiture origines? Ministerialium pri-  
mordia numne carent omni dubio? Et facili quidem labore  
vel sexcenta alia eiusmodi instituta in medium proferre pos-  
sem, si praesentis disquisitionis ratio id permettere videretur.  
Vel unicum enim, quod iamiam penitus paulo eruere animus  
est, argumentum, asserti mei veritatem abunde satis, spero,  
comprobabit, *Doctrina nimirum de genuino laudemii feudalis  
ortu*. Plures equidem de laudemio tam generatim, quam de  
ipsius origine, speciatim, sunt commentati, quos, pro potiori  
parte, recenset *Bibliotheca Realis Iuridica Lippeniana* edit.  
*Lipſ.* recentiss. Tom. I. pag. 802. sq. Sed illius ortum vel  
plane non attigerunt, vel debito sane modo haud explicarunt.  
Ante omnia autem et hic quaedam veniunt praemonenda.  
Nimirum sub communi laudemii nomine iuris feudalis inter-

pretes ad vnum fere omnes duo comprehendere solent vel potius inter se permiscere instituta, valde tamen a se inuicem diuersa, originarium scilicet, si ita dicere fas est, et genuinum laudemium, quod de feudis nouiter acquisitis solui solet, et pecuniam successoriam *Anfals Gelder* vulgo appellatam, in feudis antiquis ab agnatis succendentibus persoluendam. Interim tamen quoniam semel popularis vsus vtrumque pro synonimis reputat cedendum et hic ipsi videtur. Porro laudemium quoque appellatur *releuum*, ac in primis occurrit in confuetudinibus feudorum Galliae, diciturque *releuamentum*, item *Relief* vel *Rachat*, quoniam feudum, quod in domini potestate recidit, releuare i. e. redimere tenentur haeredes. Differre autem *releuum* a laudemio contendit SCHILTER de Bonis laudematiibus §. 52, perhibens, *releuum* tantum ab haeredibus, laudemium contra praecipue a primo acquirente solui. Nobis autem videtur *releuum*, quod fusus illustrat CLAVDIUS PAQUET DE LIVONIERE *Traité de Fiefs* Lib. IV. esse peculiare Galliae institutum, ad Germaniam plane non spectans, ac nunquam in patria nostra obtinuisse. Nec sicco denique pede praeterendum censemus, laudemium vulgo diuidi solere in feudale et allodiale, et prius rursus in maius et minus seu taxam clientelarem. Nobis autem in praesenti sermo tantum erit de laudemio feudali maiori eiusque ortu. Hinc ne extra oleas vagari videamur, quaestione etiam num laudemium feudale allodiali sit antiquius? praetermittere cogimur. In eruendis autem laudemii feudalis maioris primordiis, ita versabimur, vt primum varias non de vocis solum deriuatione, sed et ipsius rei origine adducamus eruditorum opiniones, dein vero genuinum eius fontem indicemus.

Ad diuerfas itaque quod attinet Doctorum feudalium sententias, de vera vocis laudemii compositione et significative, nonnulli illud a vocibus olim in aetate barbara usitatis, *laus*, *los*, descendere ac ab initio *lausdemium*, vel *losdemium*, dictum

dictum afferunt, unde dein successu temporis laudemium euaserit. Vocem contra *laus* a laudando deducunt, quod in medio seu barbaro aevo consentire, approbare, significauit. Testatur hoc charta quaedam d. a. 1125. apud **G V I C H E N O N** in *Bibl. Sebus.* Cent. I. n. 10. p. 46. edit. **H O F F M A N N I**, *laudante simulque confirmante Stephano Comite Bononiensi* - - - qui et hoc donum laudauit et confirmauit, *praesentibus multis*. Vocabulum autem *laus* consensum, approbationem indicare, patet e documento quodam d. a. 1174. ap. **C O L V M B V M** citatum a **D U F R E S N E** in *Glossario vocum medice et infimae aetatis latino*: h. v. *Hanc vero permutationem Comes Willelmus dicebat non valere, quoniam facta erat sine sua laude et voluntate.* Sed haec quidem laudemii deriuatio vel ideo album meree calculum haud videtur, quoniam naturae ac indoli laudemii repugnare videtur. Allatae siquidem voces consensum quidem, non vero solutionem quandam pro consensu praestandam declarant. Alii itaque verbo *laudare* aliam adscribunt notionem, afferuntque eam quoque notare idem ac tradere. Prouocant ideo ad chartam quandam d. a. 1281. ap. **C V I C H E N O N** l. c. n. 5. p. 36. quae sequuntur, exhibentem verba: *Pro remedio animae meae* - - *dono et laudo Deo et B. Mariae* - - *et Durbonensibus fratribus* - - *pascua animalibus eorum*, nec non ad aliam de an. 1150. apud **R V F F I V M** in *Comit. Prou.* p. 133. vbi deprehenduntur haec: *Facta est haec laus sive concessio in clauso S. Marii*, et rursus ad aliam apud **G V I C H E N O N** in *Bibl. Sebus.* Cent. I. n. 95. p. 173. edit. **H O F F M A N N I** speciatimque ad verba: *Tibi* - - *titulo donationis concedo, laudo* - - *propter banc donationem et laudemium habuimus a te undecim millia solidorum Melgonensium.* Exinde igitur coniuncti vocabula *laudare* et *laus* idem denotare ac inuestire, inuestitura. Nonnulli porro laudemii vocem a vocabulo *laus* censem olim indicante deducunt, ac *lausemium* ab initio dein laudemium scriptum perhibent. Verbum nimirum *laus* cen-

A 3 sum

## VI

sum indicare, patet e charta Ildefonsi Comitis Tholosani d. a.  
 1444. apud CATELLVM in Hist. Occitan. p. 324. verbis his:  
*Carbonellus frater babeat de laboratoribus suis censum, qui  
 vulgo vocatur lause.* Et in lingua Anglica adhuc in usu est  
 haec loquendi formula *pag scot and lot*, i. e. censum et alia  
 onera soluere, quae in lingua Gallica dicuntur *lods et venter*.  
 In Helvetica vero *Lod vel Lot*, prout in primis monstrat Perill.  
*Lib. Baro de SENCKENBERG* in *Epistola ad Fratrem* p. 8.  
 e STANIANS *Etat de Suisse* p. 198. *Il y a dans ce canton  
 un autre charge en usage, que l'on nomme le LOD ou le LOT.  
 Elle monte à la sixième partie de la valeur entière des biens de  
 terre qu'a chaque foio l'acheteur est obligé de payer au Souve-  
 rain.* Prouocant denique ad KERONEM, vbi vocabulum  
*looth vel lorb* mercedem, vel remunerationem notat, indeque  
 descendere volunt Germanorum *Lohn*. Fusius haec omnia  
 persequitur *Celeb. Dn. de BVR in Erläuterung des in Deutschland  
 üblichen Lehn Rechts* T. I. p. 865. sq. Diuersam certo  
 modo ab his omnibus sententiam fouet *Ill. ESTOR* in *Diss.  
 de Ordinibus regni a laudemio pecuniaque successoria immuni-  
 bus*, perhibens a voce Germanica *Leut homo alteri subiectus*,  
 enatum *leudesarium* i. e. munus seruitium, indeque leude-  
 rum das *Leutgeld*, laudemium dein scriptum. Prouocat  
 ideo ad B. IO. GEO. WACHTERI *Glossarium Germanicum*  
 col. 915. FRID. LINDENBROGII *Glossarium Codici LL.*  
 Antiqu. Germ. subiectum p. 1423. Huic sententiae adstipu-  
 latus *Dissertation sur la conquête de la Bourgogne par les fils  
 de Clouis Premier* pag. 41. inquiens: *C'est de ce mot (leudes)  
 qu'il est venu celui de Leudesarium, qui signifie proprement le  
 ferment et quelques fois le service, que des Vassaux, ou des su-  
 jets doivent à leur Prince.* Nouissime tandem *consultiss. et  
 excellent.* HOMMELIVS Iun. Collega noster amantissimus,  
 in Praelectionibus suis Academicis ad B. Ill. MASCOVII li-  
 brum de Iure Feudorum in Imperio pag. 239. laudemii voca-  
 bulum

bulum a Germanorum *lösēn* deducere sustinuit, monstrans ad-  
huc hodie in Saxonia inferiori loco *lösēn* et *los* dici *loten* ac  
*lot*. Ab hoc itaque vocabulo coniicit lothemium composi-  
tum. Ait *lösēn* vel *loren*, *los* aut *lot* non redimere nec redem-  
tionem, sed potius fortiri, vel fortitionem significant. Quum  
autem *lösēn* et *loten*, *Löségeld* et *los* vel *lot* diuersa plane sint  
vocabula, dubiam omnino reddere videtur haec diuersitas  
hanc deriuationem. Vrgetur quidem porro, adductam lau-  
demii deductionem cum natura rei accurate conuenire, nihil  
aliud enim esse laudemium, quam pecuniam, qua agnati feu-  
dum ad se deuolutum quasi redimunt. Verum hoc quidem  
est. Ait de vna saltem laudemii specie, quam vulgo *Anfals*  
*Gelder* appellare solent, locum inuenit. His omnibus nostram  
nunc etiam subiicere coniecturam, nostrarum ducimus par-  
tium, sed non nisi coniecturam, aliorum relicturi iudicio,  
num aliquem probabilitatis gradum mereatur nec ne. A lau-  
do nimirum ortum laudemium, a veritate quidem, non adeo  
alienum nobis videtur. Laudum siquidem in medio specia-  
tum ut aiunt aevo, idem denotasse ac arbitrium, omnibus fa-  
tis notum est ac perspectum. E genuina autem laudemii pro-  
prii origine infra patebit, in munere constitisse a libera vasalli  
voluntate eiusque arbitrio profecto. Generatim autem in  
eruendis vocum originibus ac deriuationibus nihil certi defi-  
nire licet, quoniam genuini deficiunt decisionum fontes.

Laudemii vocabuli vim ac compositionem excipit ipsius  
rei ortus ac progressus. In quo quidem constituendo mirum,  
quantum iterum variant Iuris Feudalis Interpretes ac Doctores.  
Non omnes autem recensere animus est eruditorum, desuper  
opiniones, vel potius coniecturas; longum enim hoc nimis  
foret, sed celebriorum solum et inprimis recentiorum. Eo-  
rum autem agmen ducat *Perill. lib. Baro de SENCKENBERG*  
in *primis lineis iuris feudalis*, Part. II. c. X. §. 258. de laude-  
mii origine ita differens: *Et dubii nihil alit olim bniusmodi*  
*præsta-*

## VIII

praestitutionum (laudemialium scilicet) nullam interuenisse, sed  
 Iuris Consultis ab argumento Emphyteusos in Ius Feudale ob-  
 torto quasi collo fuisse raptas. In Gallia non prius deberi coe-  
 pit, quam feuda fierent patrimonialia, nec tamen omnibus ad-  
 baeret, unde haec species, vbi exigitur, vocatur fief de profit,  
 SALVAM G des Fiefs p. 18. sq. Similem ex parte sententiam  
 fouet Dn. IGNAT. CHRISTOPH LORBER A STOER-  
 CHEN in Diff. cui titulus: De Coherede fundum Emphyteu-  
 ticum, vel censiticum laudemiale in solidum accipiente, ad lau-  
 demium detracta sua rata, soluendum vel maxime obligato, von  
 Hinausgabs- Handlohn §. 17. pag. 41. vbi quidem, Erimuerò,  
 inquit, in feudis olim ignorabantur (laudemia) quia autem praedi-  
 età occasio contigit (ius scilicet, ex mente ipsius, domini directi,  
 mortuo vasallo, ex re sua fructus percipiendi, donec praedium  
 alii vasallo fuerit collatum, quod quidem ius, licet feuda dein  
 euaserint haereditaria, intuitu agnitorum et collateralium re-  
 manserit, vnde in compensationem eiusmodi fructuum certa  
 pecuniae summa, laudemium dicta, fuerit soluta) laudemialia  
 feuda buc vel illuc inualecebant. Laudemiorum porro pri-  
 mordia ab annuis donis a proceribus suis Francorum regibus  
 offerri solitis, repetit III. 10. GEO. ESTOR, in Dissertatio-  
 ne supra laudata pag. 37. sq. §. 21. sq. Annua autem haec  
 dona olim regibus Francorum, speciatim stirpis Merouingicae,  
 a suis oblata fusius describit HADRIANVS VALESIVS Re-  
 rum Franc. Libr. XXIII, pag. 390. Illustrissimus Comes de BÜ-  
 NAV in aeterno opere der Teutschen Kayser und Reichs Histore  
 Part. II. pag. 329. HERTIVS in Notitia Veteris Franco-  
 rum Regni Cap. V. §. III. pag. 577. B. IOH. GOTTL. HEI-  
 NECCIVS in Elem. Iur. Germ. Tom. I. Lib. II. Tit. IV. §.  
 118. pag. 458. laudemiorum origines ita exponit: Id tantum  
 obseruanus, eos quoque, qui inuestituram acceperunt, dominis  
 praeflare solitos varias res, tanquam redditum factae in-  
 uestituae, veluti conuiuium laudum, vel par calcarium vel chi-  
 rooteca-

rotecarum, vel falconum, item canes venaticos, caponem, corniculum venatorium, pauonem saginatum, vini medium, ensim, equum. *Quae res, quas sibi in prima inuestitura stipulari solebant domini, postea certa pecunia aestimatae, originem dederunt laudemis.* Eandem amplexus est opinionem B. III. MASCOVIVS, in Libro de Iure Feudorum in Imperio Cap. VII. §. 29. edit. recent. *Laudemium enim, inquit, feudale videtur originem habere ab antiquo more, quid praestandi domino pro nouo beneficio.* Singularem autem prorsus de laudemiorum ortu in medium protulit sententiam, Dn. IO. ERN. SCHROETER in peculiari Commentatione Iur. Feud. de *Origine laudemiorum apud Germanos*, Erlangae 1744. 4. et simul cum LVCAE BECKMANNI Disputatione de *Laudemis* recusa Ienae 1747. 4. Postquam enim e TACITO de Mor. Germ. monstrauit, nullam alicuius momenti rem apud maiores nostros, nisi hilari conuiuio, fuisse pertractatam speciatim docente. HEINECCIO l. c. §. LXXVIII. p. 428. nullum traditionis actum sine symposio vel vini aut patrii potus haustu. *Hinc (pergit) facile perspectu est, etiam vasallis seu bonorum censiticorum possessoribus incubuisse, dominum in solenni traditione seu inuestitura feudi aut censitici boui, hilari excipere conuiuio.* Mutatis deinde hisce Germanorum moribus, hoc conuiuio, quo in solenni quacunque traditione, tradentes excipiendi erant, mutatum est in certas alias res, et hae deinde in pecuniae certam sumnam, dictam der Weinkauff. Atque hanc sumnam etiam Vasalli et praediorum censiticorum possessores solvere tenebantur, quotiescunque inuestirentur a dominis. Arque sub hac scilicet Wein-kauff, vel Winkoff, denominazione laudemium diu adhuc Germanis venit. Sic enim alia exempla ut taceam, legimus in Iure Colonario Osnabr. Cap. IV. §. XXII. ap. POTTGIESER de statu Seruorum Lib. V. c. II. §. XXIX. pag. 861. sq. quod soemina nupta colonario cuidam: sich muss eigen geben und den Weinkauff bezahlen. Vbi per vocabulum Weinkauff nihil aliud

B

denota-

*denotatur, quam laudemium.* Ast quae a B. HEINECCIO traduntur omni probatione prorsus destituta leguntur. Et quis est, qui non e vestigio statim sole meridiano clarius perspiciat, ea etiam, quae Dn. SCHROETERVS in scenam protrulit partim idoneo destitui fundamento, partim non satis probata. Qua de causa, nostro quidem iudicio vtraque haec opinio non facile assensum inueniet. LORBERI autem a STOERCHEN tandem assertione accuratius definire ac probationibus firmare sustinuit nouissime supra laudatus amantissimus Collega noster Dn. D. HOMMELIVS Iun. l. c. p. 245. Ante omnia nimurum probare conatur, domino directo competuisse ius, mortuo Vafallo, feudum per annum sibi vindicandi eiusque fructus percipiendi. Probationis summa haec est secundum scilicet *Ius Prouinciale Alemannicum* cap. XVI. et *Feudale Saxon.* cap. LXXV. Imperator olim necesse habuit feuda vexilli per annum tantum retinendi, et dein aliis iterum conferendi. Prouocat ideo ad loca diuersa et quidem *Extrait des Ordonances de S. Louis de l'an. 1270.* cap. 185. ap. PERILL. L. B. de SENCKENBERG in Corp. Iur. Feud. pag. 482, nec non e *Statutis Monasteriensibus* ac denique ad *Glossam* cap. 25. *Iur. Feud. Saxon.* Ast pace *Consilirissimi viri* ante omnia generatim circa iura, e quibus, modo memorata loca sunt defumta, monere liceat, conscripta et edita tunc demum illa fuisse, quam laudemia iam essent in usu. Ad monstrandum igitur eorum ortum parum aut nihil plane conducere videntur. Dein quoque pro potiori parte solum probant domino directo non licuisse feuda ipsi aperta in totum sibi vindicandi et retinendi, sed necesse habuisse illa, post annum, rursus aliis conferendi, non vero indicant, cum in finem semper per annum feuda aperta retinendi ius competuisse domino, quo necessario fructus primi anni ex illis percipere potuerit. Qua de cauſa ex hoc more, meo quidem iudicio ad laudemium nulla valet consequentia. Idem enim nobis videtur ac si hodie aliquis ex eo

eo probare vellet, in ducatu Megapolitano obtinere laudemia, quoniam duces quoque obligati sunt, de feudis ipsis apertis alios iterum, intra certum tempus uestiendi. Hanc autem illationem minime valere, vnuis quisque facile perspicet. Eandem enim legem, quae ideo in Megapoli obtinet, clare in primis sat is indicat locus de statutis Monasteriensibus allatus. Porro ad feuda potissimum quod attinet vexilli, cum illis coniuncta erant regni officia, quae sua natura non facile ultra annum vacare poterant. Ordinatio contra *Ludouici Sancti Regis Galliae* vnuquam in Germania obligandi vim obtinuisse, nusquam memoratur. E glossa etiam Iuris Saxonici prorsus nihil, ad firmam hanc sententiam, coniicere licet. Nec denique consuetudo illaque non vniuersalis quidem, feuda oblata per annum retinendi ad laudemium trahi valet. Si adeoque genuino destituta est fundamento haec assertio, vti reuera esse, quae contra illam huc usque disputauit, abunde satis docere valeat; corruunt quoque exinde formatae de laudemii origine conclusiones, licet, si vel maxime veram quoque esse largiri vellemus, nec tamen exinde laudemium sequi, dilucide satis nemo facile perspicere poterit.

Adductis igitur potioribus aliorum, quos reperire licuit de laudemii natalibus, coniecuris, nostram quoque, eamque, ut credimus, genuinam subiicere ac debitum firmare probationibus nostrarum nunc erit partium. Duplicem nimurum laudemii ortum, pro duplice laudemii specie supra memorata statuendum existimamus, vnum scilicet circa feuda noua, alterum contra circa successionem collateralium in feudis. Et quoniam prima laudemii species antiquior omnino posteriore videtur, de illius natalibus prius quoque agere est animus, ac postea alterius quoque ortum monstrabimus. Duplici autem fonte et hoc manasse laudemium clarus docebunt, quae sequuntur. Notum scilicet est omnibusque satis perspectum, feuda, ab ultimis suis primordiis salario veluti fuisse officiorum militarium ac dein et

## XII

civilium, adeoque neminem feudum diutius, quam officium possidere potuisse. Antiquam porro quamvis maxime prauam in historiarum monumentis deprehendimus consuetudinem, officia pecuniae solutione sibi comparandi ac veluti coemendi. Ita enim iam L A M B E R T V S S C H A F F N A B V R G E N S I S ad an. MLXIII. sub Henrico IV. Imp. de Alberto Bremensi Archiep. et Werenhero Comite, qui summa apud Imp. Henricum modo citatum florebant gratia, inter multa alia pessima facta referit. *Ab episcopatus et abbatiae, ab his quidquide ecclesiasticarum, quidquid secularium dignitatum est, emebatur.* Et sub Henrico V. Imp. M O N A C H . P E G A V . ad an. III<sup>7</sup>. de Viperto, Celeberrimo illo Comite Groicensi, memorat: *vt Marchia Luzensis ab eo (Imp. Henr. V.) insigniretur, promissis 3000. talentorum exorauit.* Hinc sine dubio sensim paulatimque factum, quod nullum officium et cum eo coniunctum feudum sine munere quodam obtineri potuerit. Immo faciliter quidem labore coniicere quoque licet, et filios ipsos, quo paterna officia et cum iis coniuncta feuda eo facilius consequerentur, dona obtulisse. Ex hoc igitur more per munera consequendi officia ac simul cum illis feuda, enatam postea generalem consuetudinem, pro qua uis noua uestigia domino, in signum grati animi, donum aliquod offerendi, nemo est, qui non statim perspicere valeat. Nec ullum etiam fore omnium, qui accuratius haec animo secum perpendunt, iudicamus, cui non statim pateat ex his muneribus, quae ab initio erant arbitraria et spontaneo offerebantur motu, necessitatem tandem quandam enatam, pro qua uis feudi noui concessionem summam quandam loco munereum antea oblatorum, sub laudemii nomine persoluendi. Ac licet ab initio sine dubio de iis solum feudis laudemia fuerunt soluta, quae a mera profecta sunt domini gratia, postea tamen faciliter quoque modo ad feuda per emtionem, venditionem, expectatiuam aut abusuam uestigiarum, acquisita extendi potuerunt, ut reuera fuerunt extensa. Quo autem temporis momento

## XIII

mento hoc acciderit, ob monumentorum defectum, tam accurate non licet definire. E solennibus denique pactis eiusmodi laudemia, fuisse exorta, clarissimum praebet exemplum ducatus Mediolanensis. Quum enim in celeberrimo illo foedere *Plessis* d. XXII. Sept. 1504. inter Maximilianum I. Imp. et Ludouicum XII. Galliae regem inito, Imperator promitteret Ludouicum de modo citato ducatu Mediolanensi inuestiendi, Rex sese obligauit, Imperatori, pro inuestitura sexaginta aureorum nummorum Rhenensem millia statim et totidem post sex menses persoluendi ac insuper singulis annis, ad natalem seruatoris nostri diem, bina aurea calcaria, prout inter plures alios fuse satis monstrat B. STRV. in *Corpore Hist. Germanicae* pag. 948. §. XXII. Monstratis itaque, quantum fieri potuit, probabili satis ratione, laudemiorum circa feuda noua primordiis, sequitur, vt nunc etiam persequamur, quando altera laudemii species, quam *Anfals Gelder* vulgo solent appellare, et qua quidem occasione, in imperio nostro eualescere cooperit. Ita neminem facile fugiet, in feudis, ex quo haereditaria evaserunt, descendentes solum ad successionem fuisse admissos. Mortuo itaque absque illis Vasallo, si vel maxime fratrem, aut alios agnatos relinquenter, ad dominum nihilosecius relictum deuoluebatur feudum. Hinc si defuncti fratres vel agnati feudum domino relinquere aut permittere nollent, ne in alias plane manus perueniret, redimere illud certa quadam pecuniae summa tenebantur. Asserti huius veritatem abunde satis comprobant inter innumera prorsus alia duo in primis clarissima exempla, petita ex historia Serenissimorum Maiorum Augustae gentis Saxonicae. Ita Dedo Pinguis tertius Conradi M. primi Marchionis Misniae haereditarii filius, Comes Rochlensis et Groicensis mortuo fratre Theodorico, prout docent *CELLARIUS Jun.* in *Originibus Wettinensibus* §. XV. et B. GLAEFFY in *Kern der Sächs. Historie* pag. 45. Lusatiam et maiorem Osterlandiae partem a Friderico I. Imp. pro MMLXX. marcis argenti redemit, et in filium Conradum transmisit, quo c. 1500 extincto,

B 3

eius

## XIV

eius agnatus Théodoricus nimirum Afflictus, Ottonis Diuitis  
 Marchionis Misniae ac Dedonis fratris senioris filius, memo-  
 rante *Chronico Montis Sereni, Marchiam Orientalem i. e. Lusa-*  
*tiam pro quindecim mille Marcis ab Imperatore (Otto IV.)*  
*redemit, quinque tamen imperator ei remisit.* Si autem agnati  
 eiusmodi feuda redimere omitterent, omni quoque in illa suc-  
 cessione priuabantur, prout sole meridiano clarius declarat ex-  
 emplum fatis illustre, pariter Saxonica ex historia defunctum.  
 Mortuo enim absque prole MCCLXXXIX. Ottone IV. Co-  
 mitum Brenensium, ultimo, licet adesset Henricus, Illustris Thu-  
 ringiae Landgrafus et Misniae Marchio, defuncti agnatus, vt-  
 pote ab eodem communi stipite et primo acquirente, Conrado  
 scilicet M. Misniae Marchione modo memorato descendens;  
 attamen Rudolphus I. Imp. relicta Ottonis terras, ceu feuda  
 imperio aperta, contulit Rudolpho Alberti II. Ducis Saxonie  
 filio primogenito, prout monstrant ALBINVS in *Meissn. Chron.*  
 pag. 193. et 216. FABRICIVS in *Origin. Saxon.* Lib. V. p.  
 554. et 555. ac BECMANN in *Anhält. Hist.* Lib. IV. p. 5II.  
 quoniam sine dubio modo citatus Henricus hocce feudum re-  
 dimere vel omisit, vel redemptionem eius ab Imperatore impe-  
 trare non potuit. Postquam autem et agnati in feudo antiquo  
 a primo acquirente descendentes sensim paulatimque plenum  
 succedendi ius obtinere, in memoriam tamen veluti pristini  
 moris redimendi eiusmodi feuda, certam pecuniae summam  
 soluere necesse habuere, quae dein laudemii etiam nomen accep-  
 tit, licet a priori quoad ortum indolem summamque soluen-  
 dam valde diuersum. Et quum omnes antea de laudemii ortu  
 recensitae Doctorum sententiae partim multum, partim aliquid  
 tamen difficultatis habeant; hanc a nobis prolatam ab omnibus  
 sane, quae illam dubiam reddere valent, impedimentis liberam  
 esse omnibus facile patebit, si eam accuratius perpendere se-  
 cum insituent. Hinc iure eam meritoque genuinam appellare  
 sustinemus. Longius vero argumentum persequi ac exornare  
 scriptionis huius ratio permittere haud videtur. Qua de cauſa  
     pedem

pedem hic figere cogimur, et id potius nunc aggredior, quod  
occasionem haec scribendi suppeditauit. Indicenda enim sunt  
solennia Doctoralia Praeclarissimi Candidati

## CHRISTIANI ALBINI ZAHNII

WVRZENSIS

qui de natalibus, vitaque et studiorum laudatissimorum ratio-  
nibus, ipse suis verbis sic exponit:

Natus sum anno huius seculi XXXX. patre Christiano Albino  
Zahnio, Curiae supremae in Episcopatu Wurzenensi Cancellario, matre  
Friderica Elisabetha Lucia e nobili gente Funckorum, quam, patre  
praematura morte mihi erepto, adhuc superstitem colo. Oprimi hi pa-  
rentes, quorum amorem pietatemque nunquam satis laudare possum,  
statim operam dederunt, vt pueritiam meam iis artibus imbuerent, qui-  
bus me bonum, et utilem reipublicae ciuem aliquando fieri liceret.  
Quam ob rem praeceptorem mihi dederunt Christianum Gottlieb  
Kühnium A. M. nunc inter Canonicos Wurzenses receptum, a quo  
cum in iis, quae ad doctrinam christianam pertinent, tum in his, quibus  
aetas iuuenilis ad humanitatem informari solet, eruditus sum. Deinde  
anno 1510 CCLVII. Lipsiam me contuli, cum iam anno pro-  
ximo Gotfchedio Rektoris Magnifici fasces tenente ciuitate acade-  
mica esse donatus. Qua in vrbe per quinquennium et quod ex-  
currit, optimis, quibus ea abundat, praceptoribus vsus sum. Ac  
primum quidem, vt quibus studiis iam esse in nutritus, in iis magis  
confirmarer, Crusium in Philosophia vniuersa, Wincklerum in Physi-  
cis, in humaniorum et elegantiorum literarum cultu Ernestium et Gel-  
lereum, in statuum Europaeorum historia Boehmum, in Imperii Ger-  
manici historia Franckium, in Mathematicis denique Rudolphum A.  
M. doctores habui. Deinde ad legum studium conuersus Tobiae  
Richteri et Seegeri disciplina vsus sum, apud quem etiam quaestioni-  
bus agitandis ingenium et linguam ad differendi subtilitatem acuere  
tentau. Zoller et Conradi scholis interfui, cum Digesta enarrarent,  
quorum quidem eruditionem, animum erga me, fidem denique sin-  
gularem semper praedicabro. Neque vero, quae Sammetio, Viro do-  
ctissimo debeam, silentio praeterire possum, quem in Iure naturae, Iure  
publico vniuersali, Historia Iuris, Digestis, in arte leges interpretan-  
di, et Historia litteraria iuris scientiae elegantioris ducem secutus sum.  
Sed cum mihi persuaderem, ei, qui vere dici haberique Iurisconsultus  
velit,

## XVI

velit, cum iuris ciuilis Rom. cognitione etiam reliqui iuris intelligentiam esse coniungendam, nolui committere, vt, quibus ea traderetur, scholas non adirem. Contigit autem mihi, vt a Ioanne Gothofredo Bauero, ICto, doctrina, vsu, dignitate denique, omnium consensu summo, cuius adhuc nondum mortem eluximus, tum etiam a Zolle rationem omnem fori iudiciorumque pernoscerem, quorum hic ius quoque criminale artemque ex auctorum libris tum referendi, tum decernendi me docuit. Iuris Canonici ambitum a Thomasio et Breuningio, Iuris quidem Germanici a Graefio me accepisse gaudeo. Francii denique et Baueri iunioris diligentiam ad Publici Feudalisque iuris quaedam capita accuratius cognoscenda multum mihi profuisse, ingenue lubenterque profiteor. Secundum quae, cum, celsante belli calamitate, restituta patriae tranquillitas me admoneret, vt, quae ex tantorum virorum doctrina et praecceptis didicissem, ea etiam ad communem utilitatem transferrem, Illustrem ICtorum Ordinem adii, et, vt summi in vtroque iure honores mihi decernerentur, qua pars est obseruancia, petui.

Annuit Ortho noster eius petitis, admissus enim ad examina Candidatis, qui dignitate doctorali exornari cupiunt, subeunda, in illis expectationi nostrae ita satisfecit, suamque eruditonem et in arte iuris scientiam ita nobis probauit, vt unanimi consensu, dignissimus, cui honores in vtroque iure summi conferri queant, iudicatus fuerit: quod vt ordine ac more a maioribus recepto fuit, proximo die VI. Iulii hora a meridie II. L. 12. C. de usufr. et habit. interpretabitur, et die sequenti d. VII. Iulii dissertationem inaugurealem de *Litigiosis* fine praeclide defendet, quibus peractis Vir Excellentissimus et Consultissimus Dn. D. Traugott Thomasius, Consistorii Regio-Electoralis et Ordinis nostri confessio, cui ex potestate Procancellariorum publica autoritate mihi demandata, munus Promotoris detuli, summos in vtroque iure honores ac priuilegia doctoribus, Lipsiae hoc axiomate ornatis, competentia, exceptis lessione et voto in Collegio nostro, Praeclarissimo Candidato, tribuet; quae solemnia vt *Magnificus Academiae Rector*, *Illusterrimi Comites*, et *vtriusque reipublicae proceres* sua praesentia splendidiora reddere, *Generosissimi et Nobilitissimi Academias ciues*, frequentes condecorare ne dedignentur, Ordinis nostri, meo et Candidati nomine, quo quemque decet cultu et obseruancia, rogo atque contendeo. P. P. Lipsiae Dominica V. Trinit. A. R. S. MDCLXIII.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Leipzig, Diss., 1763(1)

vol 18





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



1763, 21  
43

PROCANCELLARIUS  
D. ADRIANVS STEGER  
POT. POLONIARVM REGI ET ELECT. SAXONIAE  
A CONSIL. AYL. SVPR. CYRIAEC PROVINC. CONSIST. ECCLES.  
IVDIC. MARCH. INFER. LVSAT. AC ORD. ICTORVM ASSESSOR  
ET CIVITATIS LIPSIENSIS SENATOR  
AEDILITIVS  
DE  
GENVINA LAVDEMII FEVDALIS ORIGINE  
QVAEDAM PRAEFATVS  
SVMMOS  
IN VTROQVE IVRE HONORES  
PRAECLARISSIMO CANDIDATO  
CHRISTIANO ALBINO ZAHNIO  
WVRZENSI  
DIE VII. IVL. MDCCCLXIII.  
CONFERENDOS  
INDICIT.